

ris avum adeo exinde Germania fidum habuit, ut arma sua conjungeret Regi adversus Ungaros communesque hostes Regni.

Has inter bellorum turbas Dudo Episcopus Paderbornensis Regem adiit, rogatque ut Herisiensi Sanctimonialium Virginum Collegio omnia privilegia regia auctoritate comprobare velit, quæ raro simul Episcopi elogio tabulis inserto, impetrat; eo enim in diplomate vocat Dudonem præclarum et venerabilem suum Episcopum, cui pro æterna remuneratione id se debere profitetur, satisque ostendit spectatæ virtutis fuisse præfulem, ac de se optimè meritum; ut non immerito cum majoribus queri liceat de tam præstantibus Episcopis nihil fere præter nudum nomen in factis nobis relatum esse; ejus rei gratia ipsas Regis tabulas tanquam testes nobiscum loquentes recitare conveniens erit.

In nomine sanctæ et individua Trinitatis. Otto divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri, tam præsentis quam etiam futuri, quod nos pro Dei amore, nostræque animæ remedio, regni que nostri statu, liberalitatis nostræ munere locum Herisi nuncupatum in Episcopo præclari Paderbrunnensis Antistitis, nomine Dudonis, constructum revelavimus, mundeburdum nostrum et immunitatem defensionemque et tuitionem nostram ei impendentes, juxta omnia, quæ eidem monasterio congregationique ibidem Deo famulanti pius genitor noster ceterique antecessores contulere. Itaque pro æterna remuneratione venerabilis Episcopi nostri, videlicet prælibati Dudonis, flagrationibus obtemperantes, votisque aspirantes decrevimus ante dictæ Sanctimonialibus Ecclesiæ præsens præceptum conscribi, in quo sancimus potestate regia easdem Sanctimoniales licentiam habere cum consultu Episcopi sui eligendi abbatissam, qualem voluerint. Ceterum præcipimus etiam, ut nullus iudex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesiis, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones jam dictæ Ecclesiæ, quas nunc infra ditionem regni nostri legibus possidet, ut quæ deinceps in iura ipsius divina pietas voluerit augeri, ad causas judiciario modo audiendas, vel freda exigenda, mansiones vel paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones, vel inusitatas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat. Hominibus quoque ejusdem monasterii prædictum Mundeburdum, et tuitionem nostram constituimus, ut etiam eorum nulla judiciaria potestate examinentur nisi coram advocato, quem ejusdem loci elegerint Sanctimoniales. De omnibus autem prædictæ Ecclesiæ rebus statuimus, ut eæ fungantur protectione nostra, uti antecessorum nostrorum temporibus eorum sancta sunt defensione. Et ut hæc nostræ concessionis auctoritas plenior in Dei nomine obtineat firmitatem, quatenus per succedentium temporum curricula fortius credatur, firmitusque observetur, manu propria nostra eam confirmavimus, et annuli nostri impressione corroborari præcepimus.

Appro-  
bantur  
ab Otto-  
ne privi-  
legia Vir-  
ginum  
Herisien-  
sium.

Signum